

No. 545. 1363. 3. Apr.

*Notariats-Instrument, worin der Archidiaconus der Lausitz Conrad Prûze erklärt, dem Probst Johann von Rostok zu Schlieben hinsichtlich der zum dortigen Bezirk gehörenden Pfarreien gewisse Rechte mit bestimmten Vorbehalten zugestanden zu haben.*

Noverint universi — quod anno domini M° CCC° LXIII° indictione prima, die mensis Aprilis tertia, hora paulo post vespervas — coram — Theoderico de Gogh decano, Palberto de Molhusen cantore, Theoderico de Cappelndorf scolastico, Frederico de Milticz praeposito Wurczynensi et Theoderico de Schonenberg canonicis ecclesiae Misnensis in meique notarii publici et testium infrascriptorum praesentia honorabiles viri Conradus Prûze archidiaconus Lusatiae in eadem ecclesia Misnensi et Johannes de Rostok praepositus sive plebanus ecclesiae parrochialis in Slywin Misnensis diocesis, idem dominus Johannes — domino Conrado supplicavit, quod cum bonae memoriae dominus Conradus praecessor suus immediatus in ecclesia in Slywin supradicta ius instituendi, absentias dandi et auctorizandi permutationes in illis videlicet ecclesiis in archidiaconatu praedicto in sede Slywin sitis, in quibus ipse tamquam praepositus in Slywin ius patronatus noscebatur obtinere, de gratia favore et licentia ac vice nomine et auctoritate archidiaconi Lusatiae pro tempore et ex speciali ipsius commissione ad suae vitae tempora exercuisset, dignaretur sibi etiam dum viveret hanc et eandem gratiam faciendo concedere, et sibi committere iura praedicta vice et auctoritate sua exercenda. Praefatus vero dominus archidiaconus se ad partem traxit aliquamdiu, cum supradictis dominis interlocutus fuit et tandem dictum dominum Johannem praepositum in Slywin revocavit et dixit, domine praeposite, propter specialem personae vestrae honestatem et amicorum vestrorum intuitum concedo vobis et committo, quod vos non iure vestro sed meo nomine et vice et auctoritate possitis dum vixeritis ius instituendi, absentias dandi et permutationes auctorizandi in praedictis ecclesiis et rectoribus earum dumtaxat exercere, sed iurisdictionem, subiectionem, censuram quamlibet ecclesiasticam, visitationem, procuracionem excessuum, correctionem, cathedriticum, obedientiam ad quam etiam manualiter mihi aut cuilibet meo successori faciendam debetis quemlibet rectorem ecclesiarum huiusmodi quotiens eos mori aut mutari contigerit, remittere et cuiuslibet alterius iuris exercitium archidiacono Lusatiae in dictis ecclesiis et earum rectoribus de consuetudine vel de iure competens, mihi et successoribus meis specialiter et expresse reservo. Quam quidem gratiam et commissionem praefatus dominus Johannes praepositus in Slywin benivole et cum gratiarum actione acceptavit, ipsique domino Conrado archidiacono vice et nomine suo suorumque successorum — stipulanti similiter et recipienti promisit, supradicta iura, quo supra nomine et iure — velle et debere exercere nec se de aliquibus iuribus aliis — intromittere — sub rerum suarum — obligatione et ypotheca. Acta sunt haec in ecclesia Misnensi ante altare beatorum Petri et Pauli apostolorum anno — quibus supra praesentibus discretis viris dominis Andrea de Kothebus et Michaeli Lemkini de Gubbin perpetuis ecclesiae Misnensis vicariis testibus ad praemissa vocatis et rogatis.